



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. I. Quænam sit forma absolutionis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

cum ita se habeant mortalia absoluta a Confessario relate ad simplicem Sacerdotem , sicut se habent reservata absoluta a superiore relate ad confessarium inferiorem , qui non habet potestatem in reservata .

Nam , quamvis sequelam admittat Jo. Sancius cum Dian. part. 3. tract. 4. resol. 53. equidem cum Suar. illam nego . Et disparitas est , quia cum universem in dubio melior sit conditio possidentis , in dubio an poenitentia imposta pro reservatis sit & ipsa reservata , dicendum , non esse reservata , atque adeo posse ab Inferiore commutari , quia stat in possessione

libertas , seu potestas commutandi in Inferiore , & dubitatur an per reservationem ea sit limitata : Contra vero in dubio an soli confessario competat potestas commutandi poenitentiam impositam pro mortalibus , nequit simplex Sacerdos eam commutare ; quia non stat in possessione potestas eam commutandi , ita ut dubitetur , an ea sit limitata per reservationem , sed est in possessione praecipuum , ne simplex Sacerdos ingerat se relate ad mortalia non alias confessio , atque adeo nec relate ad poenitentiam pro iisdem impositam .

Q U A E S T I O V I I .

De Forma Sacramenti Poenitentiæ , quæ est Absolutio .

PRincipia pars hujus Sacramenti est forma , ex Trident. fest. 14. cap. 3. , utpote quæ determinationem , ac perfectionem reliquis tribuit . De ea autem primo inquirendum , Quænam sit ? Deinde , quandonam absolutio dari possit sub conditione , aut differri ? Tertio , expediens reliqua ad absolutionem pertinentia .

ARTICULUS I.

Quænam sit forma absolutionis ?

- I. *Invalida est absolutionis , nisi forma absolvitoria ore proferatur .*
- II. *Omnia Sacra menta voce humana conferri debent , circumscripto Matrimonio , quod sequitur naturam contractus .*
- III. *Quænam verba essentialiter ad absolutionem spectent ?*
- IV. *Forma absolvitoria non potest esse multa ; potest tamen esse equivoca , & a circumstantiis ad sensum debitum determinari .*
- V. *Nequit forma in hoc Sacramento deprecatorio modo conferri , ut in*

Extrema Unctione : valide tamen , sed illicite conferreur absolutionis per hæc verba , Absolvatur Servus Christi .

- VI. *Quænam sit germanus sensus forma absolvitoria ?*
- VII. *Num gratia conferatur post illa verba , Absolvo te , an vero post illa alia , A peccatis tuis ?*

- I. **Q**uaritur primo . An forma absolvitoria debeat humana voce proferri ?
Respondeo cum communè affirmative ; sic enim Christus Dominus instituit , & perpetua traditio , & consuetudo Ecclesiæ demonstrat , & Concilia definunt ; Unde Clemens VIII. damnavit propositionem illam , quod sci-

scilicet possit quis per literas, seu internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere: & Paulus V. die 14. Julii 1605. declaravit, utrumque prohiberi, videlicet tam confessionem, quam absolutionem per literas, seu internuncium. Et quamvis in aliquo casu possit dari praesenti Confessario papyrus, in qua scripta sint peccata, ostendendo signa doloris, & addendo, quod de iis pœnitens se accuset; (modo non sit mutus, cui non sit integrum vocem ullam proferre, sed solum possit, signa doloris ostendere) At forma absolutoria debet humana voce proferri, cum magis expressam significationem postulet forma, quam materia: Unde fit, posse mutum pœnitentem absolviri, sed Sacerdotem mutum nequaquam posse sacramentaliter absolvire.

Ubi adverte cum de Lugo, absolutionem per literas, aut internuncium collatam non solum esse illicitam, sed etiam invalidam; si enim esset valida, posset licite conferri in casu extremae necessitatis, scilicet in articulo mortis, quando aliter conferri non posset: Cum tamen Clemens VIII. dicat, in nullo casu posse talem sententiam in proxim deduci, sequitur, talem absolutionem esse invalidam.

II. Neque dicas, in Matrimonio, quod institutum est per modum contractus, non requiri verba humana; ergo neque in Sacramento pœnitentiae, quod est institutum per modum judicii; cum in judicio etiam per literas sententia proferatur.

Nam concessio antecedente, nego consequentiam; Disparitas est, quia noluit Christus Dominus hoc judicium sacramentale in omnibus esse conforme judicio forensi; etenim in hoc Tribunal idem est reus accusator, & testis, eidemque creditur,

tam pro se, quam contra se; quod in forensi judicio non habetur; sic etiam differunt in casu nostro.

III. Quæritur secundo, Quænam verba pertineant ad formam absolucionis?

Respondeo, in Rituali Pauli V. ea verba apponi adhibenda, Misereatur tui, &c. Indulgentiam, absolutionem, &c., Dominus noster Jesus Christus te absolvet, &c., & post absolutionem tum a censuris, tum a peccatis, Passio Domini nostri, &c. Verum ex consuetudine Ecclesiæ omittuntur illa, Misereatur tui, & Indulgentiam: Immo in magno concursu populi, & in brevissimis confessionibus hæc tantum verba possunt adhiberi; Ego te absolvō ab omnibus censuris, & peccatis tuis, in nomine Patris, Filiī, & Spiritus Sancti: Etenim preces illæ antecedentes, Misereatur tui, &c., nechon consequentes, Passio Domini nostri, &c. ex Trident. fest. 14. cap. 3. laudabiliter adjunguntur; unde infertur, posse sine culpa omitti.

Absolutio etiam a censuris omitti potest, ex Granad. quando nulla probabili ratione existimatur eas incurisse pœnitentem. Quamvis omitti non debeat juxta consuetudinem Ecclesiæ, ad hoc ut si pœnitens sit immemor alicujus peccati habentis annexam censuram, prius ab illa absolvatur, ut possit Sacramentum recipere. In casu tamen necessitatibus illa verba, Absolvō te a peccatis tuis, significant absolutionem censurarum simul, & peccatorum; quia sæpe nomine peccatorum veniunt etiam pœnæ debitæ peccatis, ut sunt etiam censuræ: Sicut cum dicitur in Scriptura in alio mundo remitti peccata, sensus est, remitti pœnas Purgatorii debitas peccatis.

Invocatio Sanctissimæ Trinitatis non est necessaria, sicut est necessaria in ba-

baptismo : Nam Christus Dominus dixit, baptizandos esse homines In nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti ; At in institutione Sacramenti pœnitentiae dixit, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Unde satis est ad formam absolvitoriam exprimere verba, quæ remissionem peccatorum significent.

Pronomen illud, Ego, non est essentiale, quia implicite continetur in ly Absolvo, quod juxta omnium sententiam est essentiale.

Particula illa, Te, a communi Doctorum contra aliquos Recentiores existimatur esse essentialis ; quia non habetur significatio completa sine illa.

IV. Verum particula illa, A peccatis tuis, communius contra quamplures Recentiores non reputatur essentialis ; quia ex circumstantiis significatio illorum verborum, Absolvo te, quæ est indeterminata, & æquivoca, determinatur ad significandam remissionem a peccatis. Ubi adverte, verbum, Absolvo, confidere propositionem mutilam, non æquivocam ; hac autem verba, Absolvo te, confidere propositionem non mutilam, sed æquivocam ; Non secus ac propositione ista, Ego vidi, est mutila ; hac alia vero, Ego vidi canem, est æquivoca : Potest autem ex circumstantiis propositione æquivoca determinari ad haec potius, quam ad aliam significationem : At non debet in Sacramentis conferrendi propositione mutila ex circumstantiis compleri. Et ratio est, quia verba Sacramentalia debent ex se, & non ex circumstantiis significare id, quod causant ; Unde sequitur, quod propositione, Absolvo, quæ est mutila, non sit sufficiens in Sacramento pœnitentiae ; Nec si quis dicat confessario, absolvisse me a peccatis meis? fatus est, quod ille dicat, Absolvo, vel maxime quia ista verba non significant ex se id, quod causant, vi-

delicet remissionem peccatorum : Contra vero, satis est dicere, Absolvo te, quamvis propositione ista sit æquivoca, & a circumstantiis determinetur ad significandam absolutionem a peccatis potius, quam a censuris, aut a vinculis. Quia tamen in re gravi non est recedendum a consuetudine, nec est exponendum Sacramentum periculo frustrationis, ideo sine culpa gravi omitti non possunt illa verba, A peccatis tuis : Sine culpa autem solu[m] veniali omitti non potest ly, Ego, & ly, in nomine Patris &c.; quia si hæc omittantur, receditur a consuetudine Ecclesiæ, non tamen exponitur Sacramentum periculo frustrationis.

V. Hinc habes, absolutionem non rite conferri deprecatorio modo, dicendo, Absolvat te Deus, sicut confertur Sacramentum Extrema Unctionis, dicendo, Per suam piissimam misericordiam indulget tibi Deus, &c. Ratio est, quia Christus Dominus noluit, ut suus minister impetraret absolutionem, sed voluit, quod absolvat ; dicit enim, *Quorum remiseritis &c.* Quare confessarius debet absolute dicere, tamquam Judex, & Christi locum tenens, Ego absolvō, proferendo sententiam, non deprecando. Esset autem valida, quamvis illicita absolutione, si diceretur, Absolvatur Servus Christi, &c. sicut valide baptismum conferunt Græci, dicendo, Baptizetur servus Christi.

VI. Quæritur tertio, Quinam sit sensus horum verborum, Ego te absolvō, &c.?

Respondeo cum communi contra Gabriel. dist. 18., non esse sensum ; Ego remitto tibi obligationem subiiciendi te clavibus Ecclesiæ ; nec per ea significari remissionem pœnæ æternæ, aut temporalis ; nec solu[m] declarari pœnitentem absolutum, quod aliqui antiqui dixerunt ; sed sensum esse ; Ego confero tibi gratiam ex se

se remissivam peccati, seu Impendo tibi Sacramentum pœnitentiae conferens gratiam ex se remissivam peccati. Ratio est, quia verba Sacramentorum significant practice id, quod causant; sicut causant id quod significant; Atqui verba absolvitoria causant gratiam ex se remissivam peccati; ergo productionem talis gratiae significant. Hic autem sensus verificatur etiam in eo, qui accedit ad Sacramentum cum contritione, atque adeo cum culpa jam remissa; necnon in eo, qui peccata olim confessa, & remissa confitetur iterum; Potest enim vere renovari remissio; sicut renovatur promissio, & renovantur vota, ut diximus quæst. 2. art. 5.

Dices; Dei solius est remittere peccata, juxta illud Matth. 9. *Quis potest peccata remittere, nisi solus Deus?* ergo Confessarius non remittit peccata, sed solum declarat pœnitentem absolutum.

Respondeo, Deum solum remittere peccata auctoritate propria; Confessarium vero auctoritate aliena, & accepta a Deo, tamquam a principali remittente.

VII. Quaritur ultimo, Quandonam confertur gratia Sacramentalis? Num post prolationem illorum dumtaxat verborum, Absolvo te, quæ sunt essentialia, ut tenent Suar. Lug. Bonac., & alii; An vero post illa verba, A peccatis tuis, ut tenent Vasq., Henr., & alii putantes, quod quamvis illa solum verba, Absolvo te, sint essentialia, at illa alia verba, A peccatis tuis, quando apponuntur ad clarior sententiam explicandam, concurrunt ad causalitatem gratiae, & ideo gratia non confertur, nisi illis prolatis.

Respondeo, utramque sententiam esse speculative probabilem; debet tamen quilibet practice, ut advertunt Valent., & Henr., habere intentionem conferendi gratiam, & absolvendi.

di juxta intentionem Ecclesie, & institutionem Christi Domini: Et idem dicunt servandum in consecratione Calicis; Oportet enim habere intentionem consecrandi juxta intentionem Ecclesie potius, quam consecrandi statim post illa verba, Hic est calix Sanguinis mei. Et ratio in utroque casu est, quia cum sit dissidium inter Theologos, num in Sacramento Pœnitentiae sint etiam de essentia verba illa, A peccatis tuis, & in consecratione calicis illa alia verba, Qui pro vobis, & pro multis, &c., ideo intentio ministrorum relate ad absolvendum, & consecrandum debet esset juxta institutionem Christi Domini, & non juxta hanc, vel illam opinionem.

ARTICULUS II.

Quandonam conferri possit
absolutio sub conditio-
ne, aut differri?

- I. *Valida est, sed regulariter illicita absolutio sub conditione de præterito, aut de presenti.*
- II. *At sub conditione de futuro est invalida.*
- III. *Cur possit Matrimonium celebrari sub conditione de futuro, quin suspendatur effectus Sacramenti? Et cur solum Matrimonium, urgente gravi motu, simulari possit?*
- IV. *Quibus de causis possit aliquando, aut debeat absolutio differri?*
- V. *Peccatori publico qualiter differenda sit absolutio?*
- VI. *Num debeat Confessarius accommodare se opinioni probabili penitentis; quamvis ipse tali opinioni non adhærebat?*

- I. **Q** uæritur primo, Possitne da-
ti absolutio sub conditione
de præterito; verbi gratia, si iam
re-